



12





44
31.
DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE

**INFANTUM AF-
FECTIBUS,**

QUAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

FRIDERICO WILHELMO,

REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS BRAN-
DENBURGENSIS HÆREDE,

&c. &c.

CONSENSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ,
SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII ERNESTI STAHL,

MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.

h. t. FACULT. DECANI,

*Dn. Patroni, Præceptoris ac Promotoris
sui, omni observantiæ cultu prosequendi,*

PRO LICENTIA,

Summos in ARTE MEDICA Honores, Insignia & Privilegia
DOCTORALIA rite & legitime capeffendi,

Ad diem Martii AN. MDCCV. Horis ante & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI,

publicæ disquisitioni exponet,

CHRISTIANUS HÖNISCH,

Vratislavia Silesius.

RECUSA, HALE MAGDEB. Typ. Chr. Henckelii, Acad. Typ. 1718.



DISPUTATIO MEDICA IN ACADEMIA

DE
INFANTUM AF-
FECTIONIBUS

QUAM

LECTOR MAGNIFICENTISSIMO

FRIDERICO FRANCISCO KECKWITZ

FRIDERICO WILHELMO

REGNI BORUSICI ELECTORATUS BRAN-

DEBURGENSIS HARDE

DE SENIUS OPTIMO MEDICIS

DE STUDIO

DR. GEORGII ERNESTI STAHL

DE FORTI PUBL. OPTICIS

DE FORTI PUBL.

DR. PAVLOU, PRAECEPTORIS DE PROMOTORIS

DE SENIUS OPTIMO MEDICIS

PROLOGUS

DE SENIUS OPTIMO MEDICIS

DE SENIUS OPTIMO MEDICIS

DE SENIUS OPTIMO MEDICIS

DE SENIUS OPTIMO MEDICIS

CHRISTIANUS HÖNIGSCH

VERLAGSSTELLE

VERLAGSSTELLE, KARLSRUHE, Typ. Carl Henckels, Acad. Typ. 1715





PROOEMIUM.



Tantum hominem a Nativitate morbum esse, Hippocrates dixit; si de materiali corporis humani Constitutione intelligat, recte locutus: Non æque si de tota natura intelligi velit aut debeat. Tantum enim abest, ut ho-

mo ex se, ex ipsa propria sui indole, inde a nativitate sua, in universa sui infantia, ita totus morbosus esse observetur, ut potius, si animus rectè ac verè advertatur, infantia hominis, iterum dico, ex se, & per se, ita tranquille succedere soleat, ut vix ulli alii ætati in hoc genere comparari mereatur. Quod autem infantes, sub certis externis, & fortuitis, circumstantiis, varia Valetudinis suæ incommoda incurrant, illud neque ^{in ætate} seu nativitati illorum absolute, neque tam universali cuidam vitio tribuendum venit; Sed magis manifesto, arbitrariis quibusdam, & a variis malis Consuetudinibus oriundis, ut merito nominari possunt, injuriis: Certe omnes istæ causæ, & consequenter etiam inde nati effectus, si rectè æstimetur totum negotium, longe plus ex-

ternis Occasionibus vulgo debent, quam internæ, infitæ, & quasi connatæ cuicumque malæ dispositioni aut habitudini. Manifestiffima est res in illo, qui longe maximus est, numero infantum, non solum inter nos, plebejorum atque rusticorum; Sed imprimis numero fiffimorum, ut vulgo vocant, ferorum populorum, tam per Americam, quam Africam ulteriorem, imo per Septentrionis extrema. Profectio verò, si vel leviter, & plus quam perfunctoriè, inspiciantur & computentur illi infantes, durioribus parentibus geniti, & durius, (ut secundum mollium hominum opinionem loquar) habiti & educati, qui non solum suapte natura a morbis immunes sunt, sed etiam externas injurias, quasi robore quodam superant atque aspernantur: & numerus illorum conferatur cum illis, qui manifestis de causis externis, fortuitis, imo frivolis, prius male habentur quam male habent: admiranda utriusque computi imparitas facile agnosceretur, prævalente nempe longiffime priorum numero præposterioribus. Certe, ut alibi considerationem non exiguam meretur observatio illa, jam olim in nostra Academia ad prudentem pensitationem proposita, de *Infrequentia morborum personali*, sive quod singuli homines, per totam vitam suam, paucis morbis, & raro, laborent; meretur contemplationem præcipuam, in ipsi infantum ætatibus & corporibus. In his, inquam, non solum æque, sed plus etiam, admirationis meretur, quod tam tenerum corpus, tam tenuis, mollis, atque laxa textura, tam uberes, & insuper evanidi atque corruptibiles, humores, non immensum plus periculi atque damni, indies, imo in horas, incurrrant, quam reapse

fie.

fieri deprehenditur. Quantumlibet autem, si ad univ-
 versam hominum turbam comparentur, pauciores
 sint e plurimis, infantes illi, qui morbis vexantur,
 poscit tamen illorum etiam non exiguus utique nume-
 rus, omnino tanto majorem misericordiam, tanto ju-
 stiozem opem & auxilium, quanto indignius maxi-
 mam partem in illas calamitates aguntur, & nullo suo
 merito, alienos errores aut vitia, in se suscipere atque
 luere coguntur. Sunt etiam infantes ægroti, & morbi
 infantum, tanto magis medicæ considerationis, quia
 potior ægrorum infantum pars, fere tali profapia atque
 loco oriundi sunt, quæ aliis potius, quam sibi ipsi, sui
 curam deferre consuevit; molliorum hominum, de-
 licatorum, luxu & opibus fluctuantium, progenies: un-
 de fit, ut Medici ad auxilium his ferendum invitari so-
 liti, tanto magis illorum morbos, & veras causas eorun-
 dem, vestigare atque cognoscere cordi habere debeant.
 Omnino itaque medicæ considerationis & tractationis so-
 lidam limam & asciam meretur, Morborum infantum
 turba, ut tam secundum veram suam historiam, quam
 causarum seriem & indolem, recte noscantur, adeoque
 conveniens etiam methodus & medicatio, pro illis &
 inveniri possit, & adhiberi. Nemo quidem nescit, ne-
 que nobis utique illud ita incognitum est, quam
 protritum hoc argumentum, vulgo tam vere fit, quam
 videatur & habeatur; cum autem hodiernis tempori-
 bus atque moribus, nihil novum sit, de eadem re etiam
 eadem sæpius dicere: quin etiam ad eum scopum, qui
 nobis jam præfixus est, nihil amplius requiratur, quam
 specimen exhibere, quod ea, quæ Medicum scire con-



venit, & nos sciamus: nempe non tam nova, quam vera: sumplimus nobis propterea hoc argumentum, pro dissertationis nostræ Inauguralis themate. Erit forte, sub diversis inprimis, considerandi modis, quam vulgo fit, occasio, aliqua adhuc in medium proferendi, quæ non plane de trivio sumpta, tum considerationem aliquam attentioem mereantur tum in ipsa praxis provida & prudenti administratione, teste ipsa praxi, usum non pœnitendum polliceantur. De MORBIS INFANTVM itaque agemus, eorumque & veras causas evolvere conitemur, & veram curandi methodum, tam secundum rationem atque considerationem, quam suffragium experientię, formare, nostri officii ducemus. Deus ipse ter Opt. Max., qui de reliquo etiam parvulos amat, custodit atque tuetur, largiatur nobis suam gratiam, ut negotium hoc condigne exequamur, & plus uno simplici intuitu, scopum nostrum, veritatis & utilitatis, feliciter assequamur.

CAP. I.

DE

MORBIS INFANTVM ET
CAUSIS EORVM IN GENERE.

UT multa eximia atque utilissima, consignata nobis reliquit *Hippocrates*, ita inter illa profecto minime postremum est, illud, quod Sectione III. aphorismis posterioribus, annotavit, quod secundum *etates*, *diverse morborum species* in humano corpore pullulare, observentur; ita, ut alii morbi *infantibus*, alii *juvenibus*: alii *viris*, denique *senibus* alii, familiariter evenire, & magis *proprii esse* soleant. Quamvis autem meritissimus hic medicæ doctrinæ fun-

fundator atque conditor, non undiquaque omnia, suo jam tempore, penitus exhausserit: Nihilominus illæ profecto, & ingentes quidem, ipsi debentur gratiæ, quod in animum hoc modo advertere Medicos docuerit, iisque viam utique monstraverit, majori indies studio terendam.

Sicut autem in rerum naturâ considerandâ atque intelligendâ primo planè loco poni debent, veræ ipsarum rerum circumstantiæ seu *historia*; quibus deinde, *collectis omnibus respectibus, causas* suas assignare sit integrum; eaque methodus tantò magis in medicis rebus valeat, quanto majus pretium est, in illis rebus veritatem invenisse, quæ maximi momenti atque usus ad vitam Humanam existunt: convenit hinc omnino, & aliorum, & *infantium*, morborum, veram historiam, orani animi attentione prosequi.

Est autem prima atque certissima hujus generis circumstantia, quod *infantes* in genere, sibi constantes, non solum ad morbos subeundos, *interna* nempe sua aliqua culpa, minus præcipites sint, quam propemodum *adulti* aut *annosiores*: sed etiam, è morbis, & longè facilius atque *simplicius* & *breviore* quoque morbi tempore, evadant, & ad sanitatem redeant.

Iterum hic protestor, ut animus advertatur, ad illa infantum pathemata, quæ ipsis *indifferenter* & tanto magis, quo eminentius de reliquo neglecti apparent, obtingere observantur. Quo intuitu *rusticos* infantes *circumforaneos, militares*, imò varios atque numerosos è reliqua *infimâ* plebe, pro confirmatione modò formatæ nostræ assertionis, in medium producimus: eorumque numerum, erga illos, qui secus habere observantur, comparatum; immenso spatio superiorem futurum, secure pollicemur.

Proxima ad *historiam* nostram pertinens circumstantia est, quod *infantes*, cujuscunque tandem profapiæ, qui non *teneris, delicatis, corpore ipso morbidis, animo vero turbidis, pæ-*
rens.

ventibus imprimis autem matribus, geniti fuerunt: sed potius contrariâ ratione, vegetis, alacribus, corpore atque animo firmis, nec appetendo neque metuendo mollibus: quod, inquam, tales infantes ordinariè corpore & animo ita vegeti, firmi, & suo modulo robusti obseruentur, vt sponte sua, citra insignes injurias externas, non modo non facile malè habeant: sed etiam injurias subinde fati insignes, minus gravissimè ferant, sed citius atque præsentius eluctentur atque evadant.

Proximum est observare, quod etiam ipsæ prorsus enormes injuriæ, & variarum molestiarum tentamina, vt ferè jam firmiores homines, ita ipsos usque infantes, subinde ita firmement atque indurent, ut ipsa consuetudine, illas sensim negligere & aspernari consuescant: adeoque ab iisdem corporeis causis, repetitis vicibus, minime eadem incommoda corporalia, suscipiant, sed illæ potius alio tempore plane nullum, aut sane non proportionatum, effectum assequantur.

Succedit circumstantia tantò maiore consideratione digna, quanto fere notior est, quod plerique infantum affectus, ad minimum procatharsin, seu occasionem, subinde etiam neque id certe raro, longe propinquiorè causandi modum & influxum debeant *purè externis causis*: adèd, ut rem paulo prudentius æstimando, non possit non diluescere, quod illa supposita, & jam Hippocratis opinione designata, *interna*, magis a *conditione*, quam tempore nascendi, arcessenda infantum *ad morbos dispositio* non sic se habeat: sed potius nulla *propria* ipsorum culpa, magis a violentia quadam, quam evitare nondum valent, extrinsecus ipsis ingruant morbi & incumbant.

Sicut autem in ipso jam utero materno *corporis*, & imprimis *animi materni*, quin etiam *paterni*, imò aliquando *avisi*, vicia, *corpori*, *animi*, & *motibus* atque *directionibus vitalibus* in infante, labem affricare, imò imprimere, indies observantur; ita habent parem efficaciam in jam natos: inprimis autem

autem jam illis in utero impressis, ulterius succedentia. Unde varia incommoda, imo pericula, infantibus obtingunt, jam à matre infantem lactante, & pristinas turbas, cum *substancia* & motu lactis ipsi communicare continuante; jam à *nutricibus* pessimorum corporis & animi morum, quæ infantem etiam à matre tranquille formatum atque habitum, turbidis illis alienis & insolitis alterationibus, in transversum rapiunt & agunt.

Proxima causarum series, tangit & involvit injurias ab *aeris ambientis* intemperie in infantem redundantes. Ubi quidem illud nō randum occurrit, quod supra jam citati, *firmiter*, vulgo ajunt durioris, indolis infantes, hæc incommoda longe minimum æstiment aut admittant, nisi penitus enormia illa sint: interim manentique hoc in genere certum atque constans, quod *aeris* intemperies, prouti *gradu* ad minimum variat, utique infantibus æquè ac adultis, externo incursu noceat; eique no documento tanto magis expositi vivunt infantes, quo minus proprio auxilio, quod adulti possunt adversus hæc damna sibi prospicere aut consulere valent.

Cibus æque atque *potus*, infantibus vulgo destinati, ad labefactandam illorum sanitatem plurimum communiter conferunt. Inprimis, quidem *quantitate* immodicâ infantibus obtrudendo: *qualitate* insuper ineptiores pultes, aut interdum prorsus insueta, & inconvenientia edulia: partim *lac* malis qualitatibus imbutum: aut alios minus adhuc convenientes *potus* ipsis ingerendo. Quid, quod etiam *bonum lac*, eibus inconditis, aut alio *acescente* potu interposito, tales subinde corruptelas adsciscit, quæ ingrave corporis incommodum imo detrimentum, vergere & possunt & solent.

Motus & quies infantibus ita incommode cedunt, si vel *agrioribus* infantibus, quasi vi quadam somnum imposturæ *pi-græ* nutrices, eosdem jam succussando atque jactitando, immoderate concutiunt; jam in cunis immodestè volutando, &

vertiginosos illos reddunt, & alias totum corpus inordinate quasi indo, varia incommoda ipsis incutiunt. Jam quis omnia immodestæ *fasciarum* stricture, adeo que non solum voluntarii, sed etiam circulatorii, *motus* impedimenta & incommoda, enumeret; aut præmaturas adhuc, tenerrimorum infantum coactiones, ad *standum* aut *ambulandum*: quis fortuitas datas occasiones, ad gravius jactandum truncum corporis, luxandum & distorquendum; imo subinde ad cadendum; fatis commemoret? Sicut ex adverso, infantibus magis inquietæ indolis, perpetua in cunas incarceratione, sæpe numero ingens indignatio, iracundia, & ejulatus inducitur: & ab his varia ulteriora, tam in interno quam externo corpore, pericula. De reliquo vero etiam temeraria *interpellatio quietis*, male subinde habet & afficit infantes: ut illi hinc & *animo* morosi, & *corpore* torpidi evadant. Præcipue vero teneriores infantes, gaudent adeo quiete, ut commode *somno* relictis, quamlibet, inter paucas ad edendum & bibendum vigiliis, veluti *perpetuo*, vix non commodissimè omnium habeant.

Animi per hæmatibus minus obnoxios esse infantes, putare liceret; sunt autem quam maxime. Et primo per *impressionem*, à tempore adhuc gestationis, imo à tota reliqua parentum, quin subinde avita, *indole*. Deinde per *incussionem*, quo nomine maxime *terrore* percelli & *pavoribus* exagitari docentur, ex imprudente & immodesta, jam excitatione è somno, jam stolidâ, voluntariâ, quasi joci causâ, facta percussione: jam *fœminarum*, à quibus portantur, repentinis trepidis *clamoribus*. Ita etiam *timore* vexari incipiunt, interdum per ipsam jocosam nutricum *impressionem*, verbis, & in primis *gestibus*, quibus aliquid timere inducuntur, & sub aliquo metu sollicitè conticescere, seque cohibere, edocentur. Sicut enim animum advertentibus, justissimam certe admirationem, aut ad minimum attentionem, meretur, *gestuum* ingens efficacia, & quidem per inexplicabilem illam, sed notissimam, *mutuam*



communicationem & perceptionem : Ita ipsi usque tenerrimi *infantes*, quotidianis exemplis, eximie hac perceptione pol-
lent, & imprimis circa res *placentes* eximie, aut *horridas*.

Corripiuntur autem & afficiuntur etiam, *iracundia*. Interdum magis insitâ quadam & congenita malitiâ: interdum etiam externis multis atque variis injuriis & irritamentis.

Ut ad animi pathemata plurimum referre soleo *consuetudinem*, ita sunt omnino infantes affumendis *assuetudinibus* maxime apti atque idonei. Sicut equidem consuetudinibus, & aliis animi pathematibus, in genere magis apti & inde obnoxii sunt, homines *rationis diffuso usui*, minus adhuc indulgentes, aut apti. Quid interim in omni ætate possint *assuetudines*, & quantam considerationem mereantur, in pathologiâ & ipsa medendi methodo, optandum profecto esset, ut in scholis medicis majore attentione animadversum jam pridem fuisset, aut hodieque condigne animadverteretur.

Excretionibus debitis *conservationem* corporis, & *preservationem* à morbis, quod vulgo formaliter *Vitam* appellamus, absolvi, cum affatim declaret attentior, quantumlibet etiam simplicior, œconomix animalis consideratio: loquitur res ipsa, quod etiam in infantibus *excretionum* ratio haberi debeat eximia. Unde quidem quicquid illas turbare valet, in *infantili* quoque corpore varia detrimenta *vix* minari, in proparulo est. Ab *interna* quidem culpa, nudè atque directè, nullas facile ejusmodi turbas aut effectus in corpore infantum cooriri, tanto certius est, quo minus moralium respectuum apud ipsos hic ulla est efficacia, qua adultiores ad cohibiciones, aut alias interversiones variarum *excretionum*, tam *alui & urinae*, quam *transpirationum* subinde inducuntur.

Interim tanto pejor in hoc genere est infantum conditio, quod hi ab *alieno arbitrio* toti pendentes, admodum familiariter incondito hujus genio in multas hujus classis ataxi-

as præcípites agantur; dum non solum *quantitate* atque *tempore* assumendi *cibi* atque *potus*, mirum quantum incommodi subinde incurrunt: sed etiam *qualitate* harum rerum vitiosa, tanto pejus habiti, complicata, adeoque & auctiora indies hinc subeunt damna. Quis autem nescit, quantum hic quotidie noceatur infantibus *frigoris* & *caloris* jam *alterationibus* immædiatis, jam *alternationibus*, improvidis & incon-
sultis: Dum nunc lectis profunde illigati, nimium *in-
calescere* atque *sudare* conguntur; Nunc ex illis, e me-
dio inquam calore atque sudore, erepti, *frigori* objici-
untur, jam in toto corpore, jam in aliqua ejusdem parte. *Posteriore* maxime nomine noti hic sunt, affectus illi, qui præ-
cipue *caput* atque *fauces*, & tandem pectus infantum, occu-
pare solent, a *frigoris* & *caloris* imprudenti regimine atque
administratone.

Jam quantum ipsis *violentis* externis subinde debeant
infantes, unde variæ solidarum quoque partium læsiones i-
psis accidunt, neminem fugit. A *doloribus* tamen etiam gra-
vioribus, & interdum *animi acerbitate*, coorti ejulatus & plo-
ratus contentiosi atque clamosi, jam *hernias*, jam ani proci-
dentias producere aliquando solent: cui tamen ipsi rei, sub-
inde quoque famulantur *fasciationis*, *refrigerationis*, & *tormino-
forum* atque *vesicæ quædam* pathematum irritationes.

Alienum sit a nostro proposito, in hac speciali, de *infantium*
morbis, tractatione, tempus impendere adornando catalogo
complicationis, atque *consecutionis* aliorum ex aliis, affectuum;
quam rem, dignam sane doctrinæ practicæ partem, magis ex
instituto exequi, cum DEO & die, sibi servat D. D. Præses.
Interim in infantibus etiam hujus considerationis præcipu-
am non solum utilitatem, sed subinde etiam necessitatem,
breviter, sed minime leviter, commendatam volumus.

Ut autem considerationem morborum infantum, &
causarum eorundem, tandem velut uno conspectu sistamus,
dicimus, quod illorum morbi primo ratione causarum occa-
sio-



fionalium & instrumentalium, *externam* originem vix non semper agnoscant; ratione vero *subiecti* generalis, *lympham* magis atque *serum* lædant; intuitu tandem locorum atque partium ubi *formaliter* erumpunt, imprimis *caput, fauces, pectus, ventriculum, intestina, exitus emunctoriorum*, efficiant atque violent, aut horum generum initiis posthac succedant: ratione vero variæ, ut loquuntur, efficaciam, longe magis, & velut ordinarie, *aliorum hominum* erroribus atque pervertæ administratiõni debeantur, quam *interno* ipsius naturæ, seu œconomiam vitalem regentis Principii in infante, vitio. Ino quod potius huic, naturæ, id est principio actus vitales moderanti, quod nos ipsam animam humanam agnoscimus, præcipua pars *reparationis* atque *restitutionis*, labefactatæ per alias injurias valetudinis atque sanitatis, incumbat, & vere innitatur.

CAP. II.

DE

MORBIS INFANTVM, EORVMQVE CAVSIS MAGIS IN SPECIE.

Diximus capite præcedente, quod præcipui infantum morbi in genere, invadant *caput, fauces, pectus, organa coctionis* atque primæ *distributionis* alimentorum; hi vero aliis ulterioribus originem præbeant: progredimur ad agendum horum censum exactiorem.

Monemus autem iterum, fore nos imprimis attentos commemoratiõni illorum morborum, qui infantibus *præ aliis aetatibus* quam maxime familiares, adeoque aliquo respectu, ut loquuntur, *proprii* sunt.

Sequemur hoc intuitu etiam potius *ætatibus* infantilis ipsius ductum atque filum, quam *regionum* corporis sicut. Unde de primo loco merito ponimus *navos* maternos, & vitia a

difficili partu atque diuturna *in carceratione* foetus, & compressi me in *trahisium* & *collum uteri*, unde nominatim *dispositio calvaria*, (foeminae vocant *verdruckte* oder *geschobene*, Schiefe Köpffe) in ipso primo exitu in lucem oculis occurrunt: aut paulo post, intumescencia capitis serosa & oedematodes, *hydrocephalum* vocant, nascuntur. Rariora sunt, sed tamen aliquando occurrentia, emunctoriorum foecum aut urinae obstramenta, a quibus *imperfecti* audiunt infantes ita affecti.

Morborum autem jam ab ipsa matre infantibus *communicatorum*, inprimis quando *communiores* magis sunt quam *proprii*, æquum ducimus minus exquisitam peculiarem rationem habere.

Proximus *proprius* infantili ætati morborum manipulus est, qui *Meconii* insufficienti evacuationi originem debet. *Tormina*, & egerendi conatus, acerbissima, *Cholera adæa*; imo aliquando plane *convulsiva*.

Incedunt his quidem etiam comites, *dolores*, *clamores*, *inquietudines*, *vigilia*, *calores vagi*, &c. Interdum tamen, non æque manifeste erumpentibus gravioribus illis atque crassioribus, nihil nisi hæc sese asserunt observanda, adeoque solertiozem requirunt penitacionem, cui nam proprie fundamento innitantur, & ubi veras illorum radices invenire sit integrum.

Succedunt proximè vitia quæ a lacte iminent, sive *bono*, ipso, sive *vitioso*. Ita enim à lacte etiam *bono*, & tanto magis quidem tali, si *meconii* minus plena evacuatio contigerit: & citissime & certissime damna impendent, non exigua; unde quidem *Colostrum*, ab ipsa etiam natura destinatum est, ad abstergendum, & levissima veluti fermentescencia, ad *excretionem* promovendum, hoc impuritatis genus. Adeoque non levis est error illorum, qui has res non intelligunt, quando *colostrum* penitus averfantes, emulgere jubent, ne damna infantibus inferat: revera in hoc genere merito erudiendi à pe-

peritâ foeminarum plebejarum atque rusticarum turma, quæ arguantur: die erste garstige Milch schure den Kindern kaum den Leib ein wenig aus. Et probant argumentum hæc experientia.

Vivunt certe infantes, jam inde ab hoc *lactationis* initio, illis incommodis & periculis, neque profecto exiguis, expositi, quæ à lactis *acefcentia*, *acriore*, à *concurfu bilis* nimium effusa atque diffusæ, cooriuntur. Sicut enim lac foeminarum, *iracundia* gravioris impetu prægresso, nisi satis tempestive è mammis ejiciatur, satis sæpe in his ipsis, jam *nodos*, jam *eryspelata*, acuta utrinque; & variis ardoribus idonea, post se trahit: Ita intus etiam in tam tenello corpore, quæle infantum est, *fonticis irritationibus*, *vellicationibus*, imò *ardoribus* atque *arrosionibus* suscitandis par esse, tam ita à priori rationi consentaneum est, quam à posteriori, quotidianæ experientia testimonio confirmatur.

Certe pullulant inde manifestissime, & vix non ordinariè tum in ventre infantum, varii vehementes dolores torminosi; qui non rarò sub multis *clamoribus*, *ejulationibus*, perpetuâ inquietudine, *pavoribus* quin manuum pedumque lucta, in *convulsiva* usque symptomata exeunt: tum *conatus* & effectus *dejiciendi*, sub vehementi irritatione, *acerrimi*. Ipsa materia quæ egeritur, monstrat partim *colore suo* intense *flavo*, & varie sed intense communiter, *viridi*, anomaliâ suam à naturali statu, & indolem suam, quin originem *biliosam*, seu *lacteo-biliosam acido-acrem*, è lactis cum bile ita confermentescens corruptione pullulantem, partim *odor acetoso*, integra conclavia perfundens, efficacia talium excrementorum in linteis tenerioribus, quæ inde non aliter quam ab ipsa *aqua forti* corroduntur & fatiscunt: sicut etiam probabilis *biliosus* sapor, cum hujus generis recrementa canes penitus averfentur, quia alia lactentium infantum excrementa, etiam *olidissima* inde reliquo, avidè vorare conspiciuntur. Ita solent etiam, in-

fan-

fantes ab istis excrementis in orificio intestini recti inflam-
matorios ardores tumores, teneræ cutis arrosiones & excoratio-
nes affatim incurrere.

Ita etiam a diæta nimium *salsa*, & in primis *muriaticis* ci-
bis, ut *halecibus*, partim *tormina*, partim, & maxime quidem
hoc *urine* fortiozem stimulum & insignem *acrimoniam* genere-
ri, quæ rosiones & excoriationes cutis fenellæ perpetret; in-
ter notissima est.

Ita nempe a materialibus evidentioribus *lactis* vitiiis, hæc
& talia incommoda pronascuntur: Sunt, quæ non tam ab
ejusmodi evidenti materia, sed potius a quodam *tremuli, fre-
mebundi*, atque *trepidi motus* in *mammis* subtili sensu, & velut
idea infantibus impressa, pullulare sentiuntur, in *terrore per
lactationem in infantem derivato*. Circa quam rem illa duo præ-
cipua phænomena notanda occurrunt, I. quod si nutrix, in-
fanti mammam *statim* a terrore prægresso, aut contra *diu*,
quin diutissime *post*, offerat, pro hac diversitate variet etiam
effectus ille noxius, ut vel longe *mitior*, vel plane *nullus* se-
quatur: II. Quod si etiam nutrices *post* terrorem, mam-
mas manibus tortius tractent, ut nempe, sicuti nobis vide-
tur, *tremebundus* ille *crepidus motus* dissolvatur, & post aliquod
tempus demum infanti mammam præbeant, pariter nullus
inde noxius talis effectus subsequatur. Interpretantur qui-
dem hoc etiam vulgo de *materiali* quodam vitio, quod ita
cum *lacte*, cui per terrorem communicetur atque misceatur,
evacuatur: sed confirmat constantior exacta observatio, quod
nutrices, etiam *non emisso* lacte, inodo *satis diu* post tolera-
tum terrorem, infanti mammam offerendo, nihil ipsi nocent:
sed unice *mox post* admissum terrorem. Ex adverso ve-
ro, labes a vehementi *iracundia* lacti impressæ, etiam post lon-
giorem moram, infantibus periculosa sunt, aut ipsis omni-
no *lactantibus*, in *mammis* varia damna causantur. Et hæc
ipsa etiam ipsis scæminis impendens damna, *matura lactis*
emul-

emulsiōe, æque præoccupantur, quam ab ipsis infantibus hac ratione avertuntur.

Vitiis, quæ *lactis* interventu procreantur, vestigia legunt illa, quæ ab *alimentorum* aliorum incommodo usu originem ducunt. Simplicissimus quidem victus merito semper habetur pro optimo, interim in hoc etiam occurrere diversitatem, & ratio suadet & experientia. Ita enim v. g. circa nudum *pulmentum* videas opinionum diversitatem, dum *Thuringi & Saxones* illud parant e nuda farina & aqua, *Latini* autem usum in illo damnant: interim *Varisci, Franci, Suevi*, adhibito utique *lacte*, infantes suos secure, & sane feliciter, educant: dum tertia adhuc secta, etiam *farinam* damnant & in ejus locum *micam panis* substituunt, jam fermentatam. Revera tamen levior est hæc diversitas, quam ut ejus moderatus usus insigne aliquod præjudicium afferre possit. Justior videtur reprobatio *varietatis* admodum *diversorum* esculentorum.

Non temerè certe est, quod vulgus denuntiat, à *varietate* esculentorum magis *foetere* infantum excrementa: quod quidem in primis condimentis ciborum *aromaticis* imputare consuevit. Interim tamen minimè dissimulandum est, quod etiam esculentorum *cruditas*, sive ut vulgo loquuntur, *durities*, non absolutè & simpliciter noceat, sed sub magnis demum conditionibus. Ita enim quis nescit, nisi qui harum rerum nulla curiositate tangitur, quod apud minus cultas nationes idem utique sit infantum cibus, qui adultiorum; crudus in se, ut apud *Lappones, & Russorum* remotiores nationes siccati pisces: imo alicubi *cruenta* penitus carnes, tam diu tantisper præmanfæ, donec infantes, enatis sufficienter dentibus, ipsimet, *equinas* etiam, nedum *bybular* carnes, è femoribus atque clunibus morticinis decerpere discant: quale quid *Samojedarum* ad Russos excurrentium genti familiare esse, avtoptæ nobis retulerunt.

Sicut autem in universa vita humana magna vis est *consuetudinis*, & quidem tam ad *roborandum*, quam *emolliendum*, corpus

pus æque atque animum; ab ipsa usque infantia variam circa *alimontiam* quoque occurrere *assuetudinis rationem*, nemini ignotum est: adeo, ut hinc etiam ipsorum usque Poetarum nata sit antiqua parcemia, *à teneris assuescere multum est*: ita meretur omnino peculiarem notam, quod longè faciliùs tolerantur *assuetudines*, quæ corpori atque sensui potius aliquid *laboris* quam *lenocinii* offerunt, & corpus ad *duritiem* potius, ut loquimur, quam *mollitiem* disponunt. Multum autem familiariter nocetur infantum corpori etiam sic satis *bonorum ciborum* familiari nimia & intempestiva obrusione atque infarctu: unde plus quam *tolerare*, nedum *concoquere* possint, devorare coacti infantes, varias *stomachi inflationes*, *cardialgias*, *angustias*, & cum effari sensus suos non valeant, diversa subinde *horrida pathemata* incurrunt. Levissimum illorum, imò verò si usum spectes, quasi consultiissimum, est *vomitus*; qui si non immodicus sit, sed potius ita moderatus, ut non, nisi quod *nimum* est, rejicere appareat; subinde ita auxilio est, ut hinc etiam ipsa *plebs*, successuum horum perita, proverbium inde formaverit: *Spey-Kinder, Dau-oder Gedey-Kinder*. Ubi vero vomitus hic non ita prompte atque debite procedit, ludunt supra dicta varia, *anxia* communiter pathemata, suam scenam. Imo obtingit etiam non ita rarissimè ab hujusmodi vomitu fortiori, ventriculo infantili tanta *nausea*, ut etiam ad quamlibet, imprimis tamen utique intempestivam atque nimiam, ciborum ingestionem revomat, & magis magisque erculenta quælibet tandem aversetur. Ita nimirum etiam hoc loco, ut aliàs ubique, *omne nimium vertitur in vitium*. Quando aëris intemperiei, imprimis *humido-frigide*, exponuntur infantes, tum *etate* adhuc, tum corporis *habitu* teneriores, & huc usque etiam delicatius habitus, incurrunt inde facillè varia vitia: primo adhuc *superficialia*, ut cutis in facie & capite, *crustam lacteam*, *Achores*, minus tamen malignos aut profundos. Quando vero hæc talia non bene succedunt, aut *retrocedunt*; aut profundiore factâ frigoris efficaciam



ciâ constrictoriâ, profundius in caput refringunt humorum atque secretionum & excretionum libertatem: tunc longè graviora pathemata, *epileptica, anginodes, apthodea, suffocativa* catarrhalia, imo *lethargica*, hinc pullulant.

Febriles sanguinis commotiones vix aliunde certius & præsentius ingruunt infantibus, quam à *refrigerationibus*; five *partialibus* cito penetrantibus, ut à flatu ventorum humido-frigido: five à magis *universali* refrigeratione, *calenti* de reliquo corpori, inprimis autem *madenti*, temerè immissa. Aliis autem *inflammatoriis* & *ulcerosis* profundioribus, etiam absque dolore magis obidentibus, quam argentibus, accedunt pariter satis facile commotiones sanguinis *febriles*: imo verò familiares sunt infantum ætati, præ aliis, *ephemera* febres; aut *typica* quoque, *quarto* jam die ad *sudatoriam*, leniorem etiam & moderatam, ecclisim revertentes.

Peculiare sunt pathema, *febrilibus* utique commotionibus, sed modestissimè temperatis, ad exitum deducendum, *Variolæ & Morbilli*; interim non tam ad *infantilem*, quam totius *puerilis* periodi, ætatem pertinens: imo, si etiam verum agnoscere velimus, rarius *infantili*, quam *puerili* ætati, præcipue imminens. Imo vero, si totum negotium solertius penfitemus, *febres* infantibus nulla peculiari *ætatis* prærogativa imminem, seu revera affectus sunt, quem cum aliis ætatibus magis communem habeant.

Dentium universa nativitas, uti magis *propria* est infantibus, ita peculiaris, ad minimum ratione temporis, pathemata ipsis fuscitat. Communiter quidem, quando etiam satis benè succedit *dentitio*, notatur tamen in infantibus partim *inquietudo* aliqua evidentior, partim molestioris sensationis in ore aliqua indicia, dum manibus, & si quid ipsis temere, aut data etiam operâ, in manus tradatur, hoc eodem prompte in os properant, & jam fricando, jam masticando, gingivas exercere conspiciuntur, imo ipsas usque papillas mammaram commoricare gestiunt.



Admodum frequenter *dentitioni* molienti comes accedit *diarrhoea*, seu *dejectio liquida*, *frequentior* & crebrior. Observatur etiam sub hoc accidente, melius succedere atque cedere *dentitio*: manifesto vero pejus, quando *obstructione* potius eo tempore affecti sunt infantes. In tali enim casu febricitant communiter simul, inquieti admodum sunt, languent admodum, tentantur respirandi vitiis, jam cum humiditate *catarrhali*, verius *salivali*: jam *fecis*, magis *spasticis*, sive ut vocant *convulsivis*, imo ipsis tandem *convulsionibus*.

Convulsiones, tam ad sensum magis idiopathica, vulgatiore sensu *epileptica*, quam manifestius aliis affectibus supervenientes seu *symptomata*, sine contradictione familiares sunt, imo sano sensu magis *proprie infantibus*, quam adultis. Unde etiam longe facilius aliis quibuslibet impeditioribus horum affectibus *superveniunt*, quam in adulta aetate. Plane vero peculiare est infantibus, ut hæ ipsæ etiam *convulsiva* turbæ gravius afficiant & agitent *caput*, *oculos*, *maxillas cum dentibus*, quam reliqua membra corporis: nisi quando tandem ultimo universali impetu, totum corpus concutendo, violentos *opisthotonos* formant.

Strabismus fere sæpius *convulsionibus* vestigia legit: aliquid tamen etiam ex mala assuetudine infantibus obtinuit: Dum nempe nutrices infantibus vel ita offerunt, vel concedunt, objecta nimium prope oculis admovenda, unde distorsioni alicui oculorum, inprimis introrsum versus nasum ejusve apicem, assuescunt.

Peculiaris infantili aetati præcipue familiaris affectus est *Rhachitis*. *contrabescencia* nempe aliqua per longitudinem spinæ dorsæ, concurrente etiam, aut sensim succedente, peculiari deformatione, ab insufficienti nutritione, ejusve minus debita structura, *articulationum*. Sicut autem hæc *tabida* depravatio non promiscue infantibus communis est, sed magis fere in *Anglia* velut *endemia*; ita nostris regionibus familiarior est talis infantum *atrophia*, qua reliquum quidem corpus sensum

sim exarescit, *venter* autem non solum præter solitum, sed fere, communiter etiam præter modum, *turgescit* & indurescit. Primus, qui hunc affectum condigne, & sane graphice descripsit, est *B. Ludovici* in Miscellaneis Naturæ Curiosorum. Affectus hic, uti non æque stricta acceptione infantibus evenit, sed magis jam ablactatis, ita communissime ansam habere nobis observatus atque deprehensus est, *potum nocturnum frigidum* infantibus temere concessum aut oblatum. Imo ab eadem causa notavimus, affectum hunc etiam jam post 4. 5. ætatis annum pueris evenisse.

Vermes puerili magis ætati, quam *infantili* imminere observantur. Sunt tamen, qui primum illorum proventum, atque adeo semina magis ab ipsis *lactis* vitis arcessunt, & ita proprie *infantili* ætati hanc labem adscribunt. Nos equidem, ut nullum operæ pretium in hac lite deprehendimus, non magnopere circa illam laborabimus, sed satis nobis erit indicasse, quod hic quidem utrique communi fundamento nitantur, dum ortum vermium a nuda putredine arcessunt. Nobis vero similis videtur, per *communicationem* potius transmitti hæc semina ex uno corpore in alterum; unde, si quid hic ipsi infantia imputandum videretur, potius ab illa turpi consuetudine hoc negotium deducendum putarem, qua nutrices, aut alia dentium fœtor e & scabritie, variaque oris & anhelitus labe fœdæ *vetule*, cibos diu *premanjos*, infantibus obtrudunt, & ita cum his varia turpia semina illis ingerere possunt.

Ab ipsis autem *Vermibus* quoque varia gravia pathemata infantibus sæpe numero evenire, imprimis *torminosa*, *spastica*, imo in habitum corporis dimanantia *convulsiva*, aliquoties etiam *acuta*, & fere anomala affectuum genera, constat tum antiquis, tum recentioribus multiplicibus exemplis. Indidem etiam sæpe numero varia & *appetitus* & *concoctionis* vitia introduci, non magis rationi quam experientia consentaneum est, tanto magis, quando vel *irritari* hanc colluviem contingit, ut



inquietius in intestinis fremat: aut in *globum* complicata, alicubi tenuia intestina obstruat, aut premat: vel quando ab amaris remediis, præcipue *myrrha*, enecati vermes, sed non tempestive ex ipsis intestinis penitus ejecti, in illis computrescunt, & ita multis gravibus pathematibus, veram *malignitatem* præ se ferentibus, infantes exponuntur.

Inter *exteriora* magis corporis vitia atque pathemata, infantibus præ aliis *atribus* familiaria, merito numerantur, in naribus peculiaris pertinacior collectio & siccescens densatio mucii, qua non solum summas nares obstruit, sed subinde etiam *ulcerosa* corruptioni istius loci ansam præbet: quæ non ita raro in fungosa, aut alia callosa concrementa degenerans, etiam in futuras ætates gravia incommoda & damna transmittit.

Tumor etiam mucoso-membranosus atque varicodes *sublingua*, infantibus præ alia ætate familiarior est; sicut etiam *aphtha*, superficialis nempe levis *purulenta* corruptio, quæ *excoriationem* & *cruentationem* cum molestissimo *ardore*, infert, & subinde gravioris etiam corruptionis *anginosa*, aut ad uvulam & infundibulum diffundendæ, successum minatur. Quamvis autem etiam adulti ab *aurium* inflammationibus, *internis* æque, atque *parotidibus*, non immunes sint, certum tamen est, quod hi etiam affectus infantibus adhuc familiarius eveniant; æque atque *oculorum* catarrhales affluxus, & externe ad minimum, circa *glandulam* lachrymalem, *puncta* lachrymalia dicta, & *palpebras*, sientes tenaciores effusiones mucidæ, & velut *ulcerosa*.

Obtingit aliquando infantibus *deformitas* peculiaris corporis in mutua *proportione*, ita, ut jam *gibbosi*, jam & hoc, & simul circa *articulationes*, nodosi, distorti, & alias minus proportionati compareant. Cujusmodi incommoda velut ordinarie ab *externis* injuriis, imo violentia, pendunt: ita tamen, ut propemodum una insignis talis deformatio structuræ, alias posthac velut introducat. Interim *gibbositatem* etiam aliquando a collectione *catarrhalis* materiæ mucidæ, *ulcerosa*, origi-

originem trahere, non minus ratio suadet, quam multiplex *observatio*. Cujusmodi, præter alios, etiam videri potest apud *Bonnerum* in sepulchreto.

Intertrigines, imprimis per occasionem *sudorum & committionis*, familiares sunt infanti ætati, quam aliis; idque eo magis, si a nutricibus ita squalide habeantur, ut neque urinae, nec ipsorum, imprimis acriorum, alvi excrementorum diuturnior contactus, ab illis satis tempestive auferatur.

Si jam præter ea, quæ tacta sunt, ad *causas* horum affectuum etiam propinquiores, ad *genera* sua revocandas animum adjiciamus, puto satis evidens nobis fore, quod pleræque illæ, sane vero *præcipua*, non tam sint corpori infanti infitæ ac innatæ, quam ab *extrinsecis* ingruentes, adeoque adventitiæ. Certe enim in *lactentibus* præcipuam culpam habet lactis vitiosa acescentia æque, atque coagulatio; utpote a qua magno proventu pullulant varii ac torminosi affectus, & illorum adhuc pejora consecutaria. Ab *aeris* malo regimine, varia *transpirationis* impedimenta, & ex his propullulantia numerosa, tam in toto corpore & humorum massa, quam partibus & regionibus corporis seorsim, *febrilia, inflammatoria, ardentia, ulcerosa*, incommoda atque damna. Ita etiam *terror*, jam cum *mammis*, jam stolidis *jocis*; *timor* etiam gestibus aut imprudentibus minis, incussus, quid sunt, nisi *externarum* causarum effectus? Familiaris illa, imprimis nequiorum nutricum malitiâ aut stupiditas, ut infantibus etiam *bonum* cibum *nimum* ingerant & obtrudant, ut angustiis *cardialgicis*, imo *angoribus*, quin velut *agonibus*, frequentissime ansam præbet; ita extendit sese etiam sæpissime latius, ut ipsas etiam *concoctiones & excretiones* graviter turbet, & aliud ex alio incommodum invitet. Jam *alienior*, præcipue tamen concalescæto toto corpore actu *frigidus, porus*, quid flatulentiâ præsertim torminosa, & hanc proprie fonte intestinorum teneriorum atonia, tam præsentanei quam duraturi damni inferant, vere *externo* impulsu & accessu, neminem latere potest aut fallere.

Sucti-

Suctionis etiam laboriosioris vehemens conatus, ob defectum præcipue lactis, tam *oris interni*, & *palati*, quam *venularum sublingualium tumoribus*, & *fenfim ulcerationibus*, ansam præbent. Quamlibet etiam non ita raro ipsius *lactis* peculiaris *acrimonia* falsa aliquid hic contribuat: ut de *veriore scorbutica* infectione *oris & gingivarum nutritum*, quæ non ferendâ illâ ciborum commasticatione, & hinc *infantibus facta obrusione*, his etiam affricatur, non prolixè loquamur. Hæc omnia si debite considerentur, & inprimis illa, huc usque à nemine, quantum nos sciamus, condigne æstimata, & è fundamentis *fermentationis* recte intellecta, potius autem à variis plane negata, insignis *acescentia & acrimonia* è *bilis* fermentatione copiosiore, cum *lacte*, & aliis *acetose* fermententibus, pronalcens, debite pensitetur, fieri non poterit, quin satis dilucescat, quod *præcipui infantum affectus ab adventitiis, externe incurrentibus*, & *ingestis* causis, originem habeant.

CAP. II.

DE

PROGnosi ET THERAPEIA GENERALI MORBORUM INFANTUM,

Videtur nobis omni jure atque merito injici mentio, imo curatius tractari, consideratio *Prognoseos* morborum infantilium, propterea maxime, quoniam duo hic occurrunt, ad contractionem usque *diversi sensus*, præjudicia: dum alii, *teneritudinem* corporis infantilis & *fragilitatem* summam *materialem* respicientes, immensum quantum *infantibus* metuunt, & ad quaslibet horum *periclitationes* summopere trepidant, alii ex *adverso* ab ipsa *inprimis experientia* asseverant: Ein Kind könne viel ausstehen. Ut has *apparentes contrarietates* in *viam* reducamus, con-



consentimus omni modo, quod *materialis* conditio non solum infantilis, sed etiam cujuscunque ætatis, corporis humani, omnino verissime sit maxime *fragilis*; minime vero consentire valemus, quod hæc *dispositio* ita facile, & imprimis quasi frivole, in actum *corruptionis* deduci possit aut soleat: quin potius ordinariis illis, huic periculo proprie dicatis, & perpetuo fientibus atque vigentibus, *Vitalibus* motibus, *secretionibus* & *excretionibus*, perpetuo intervertatur atque impediatur. Imo vero ex adverso, longe plus ita tribuimus diversæ illi adfertioni, quod *infantes multum tolerare* idonei sint, quatenus videlicet & energia *vitalis* apud illos, in proportionem tamen ipsius corpusculi, est eximia, & interpellationes, imprimis intentionis constantis, ad administrandum justo ordine ac tenore, actuum horum progressum, longe imbecilliores, imo rariores: qui in adultis, partim ex *impatencia* & arbitrario malo regimine, partim ex *animi pathematibus* varie intercurrentibus, partim etiam alia *intemperantia*, multis modis facilius perturbari possunt atque solent.

Valet hoc adeo in infantum morbis, pro *prognosi* aliqua prudenti imo perita, & experientia quoque suffragio respondente, instituenda, ut hinc merito dici possit, morbos infantum, nisi quidem *quantitate*, & proportionem nimium excedente *qualitate*, infantile corpus nimium immoderate invadant & exercent, longe minus *periculi* prælagire, quam in *adultis*, sub *parsi* ad minimum *proportione*, fieri soleat.

Cavendum autem quam maxime est, ne Autocratia illa *Naturæ* exoptatissima, frigoris impedimentis, atque perturbationibus externis, temere impediatur, quandoquidem alias utique tales, imo majores ataxiæ, quam in adultis corporibus, metuendæ veniunt.

Inprimis autem convolat infantilis *natura*, graviter perturbata, ad ultimum illud conamen, veluti lucta quadam ex universo corpore excutiendi periculi atque damni, *Convulsivos* motus. Quos si maturius, & antequam alias vires suas consum-

D

sum-

sumpserit, præmature tentat, res non adeo peiculosi est prælagii: quam si velut ultimo conatu, omnes vires in unum collectas expertura, supremam hanc cluetam suscipit, iisque tandem inutiliter delassatis, simul & semel conquiescit.

Enimvero nunquam quidem, in primis in infantibus, utilem aliquem effectum fortiri apparent *convulsiones*; interdum uti dictum, aliquando minus damni inferunt, aliquando plus imo plurimum parturiunt.

Consuescenda etiam *convulsiones*, & facilius, & innocentius aliis corporis gravioribus & impeditioribus molestiis accedunt, sine peculiari *gravioris periculi* prælagio; quam ubi pernitus *inusuata* atque *insolita* sunt; quo casu infallibiliter majoris *confusionis* atque tumultus indicium præbent, & consequentur *incertiore* exitum & eventum suspectum reddunt.

De reliquo omnes utique infantiles morbi, sive sponte, sive concurrente vera atque solida arte, *brevioris* sunt periodi atque exitus; vegetius nempe, atque constantius insistentem suis operationibus *natura*, ad expugnandum atque expellendum omne noxium, adeoque repurgatum corpus sibi restituumdum.

De reliquo vero, præcipuam utique & plane peculiaris considerationem meretur, quod in reliquis veris *periodis*, eadem sit *mensura* in infantili corpore, qualis in adulto; nempe *septem dierum*: ut minime reliqua exigua corporis moles & mensura, proportioni temporis hic aliquid detrahat. Illud tamen, solertius attendentibus, fortasse magis dilucescere poterit, quod *septenaria* periodus in infantibus, magis jam *quarto* die, quando melius succedunt excretiones, notabiliter ad finem properet, magis, quam apud *adultos*; ubi vix unquam ante *septem* dies solide exit: quemadmodum etiam apud infantes, familiaris *primo septenario* absolvitur, quod apud adultiores *quatuordecim* diebus, imo tardius, impetratur.

THERAPEIA affectuum infantilium; merito etiam accommodatur huic *arbitrario* motui, atque *methodo spontanea* ipsius Naturæ, ut appellamus, infantum. Interim cum etiam infantibus, *varia* atque *gravia materialia* inquinamenta, cum *lacte*, & *lactis vitiiis*, subinde copiosius ingerantur, locum habent partim *corrigentia*, partim maturiori, imprimis autem minus noxiæ, *excretioni preparantia*.

Quemadmodum enim alias Natura humana, sua ipsius *methodo*, nihil aliud potest, quam ad summum, *diluendo* & *ablucendo*, *contemperare*, de reliquo vero quantum fieri potest, *maturatione*, *secernere* & *excernere*; imo omnes etiam *dilutiones* & *ablutiones* magis directe in ordine ad *excernendum*, tanquam *adminicula* adhibet: de cætero vero, *primaria* intentione, *secretioni* utriusque & *excretioni* invigilat, atque tota insudat: Ita debet omnino Medicus, in omni ætatis subiectis, tanto magis autem infantibus, *tempestivis* atque *justis Excretionibus*, omni modo magis intentus esse, quam otiosæ spei *materias*, *citra* tempestivam *eliminationem*, intus in corpore *cicurandi* atque *subigendi*: excepto hoc casu, ubi & *copiam* materiæ, & ad contactum immediatum magis atque proximum cum medicamentis, in promptu jacens, præsto est. Huic itaque succurrere, Medicus studeat utique, arte sua præstiturus, quod natura non possit; quod vero Natura etiam potest eoque inclinat, *motus excretorios* pariter juvare cordi habeat.

Omni modo vero hoc antiquissimum habere debet Medicus, ut in omni reliqua, ita imprimis in *infantilium* morborum praxi, ut, si utique *materie alterationi* aliquid tribuere consulum ducat, ab omnibus ejusmodi remediis abstineat, quarum *secretiones* & *excretiones naturales*, earumque *justa* & *maturatione tempora* & *opportunitates*, quoquo modo perturbare possint aut opprimere. Interea tamen neque negligat illas *materias*, quas medicamentorum *immediato* concursu attingere valeat: sed connitatur ita, ut illis ad minimum *facilior successus per emundationem* convenientia, *alteratione* illa sua concilietur, ut sine

alteriore noxa, *tempestive*, sed tamen *mature*, è corpore expelli possint.

Sicut etiam in omni alio, sic imprimis in infantili corpore, prudenter utique advertat animum, ad illas *excretionum species*, quæ non magis proprio naturæ motu, quam *materiæ* aptitudine atque proportione, tali tempori atque materiæ magis quadrant. Unde quidem ad hoc eximie attendat, an utique *convenientiam* illam, ratione assequi possit, quam certæ materiæ morbidiæ, ad *tales* certos motus & exitus habeant, quales illorum occasione, in corpore agitari conspiciat, & quidem tali eventu, ut communiter, imo ubi sic satis expedite motus illi succedunt, *semper*, *optatus salutaris* exitus subsequatur.

Hoc negotium quisquis solertius perspicere laboraverit, faciet profecto illud ingens operæ pretium, ut non solum in *infantili*, sed quacunquæ tandem *etate*, intelligere discat, quibusnam motibus, utiliter omnino, adversus res noxias in corpore, susceptis, & ipsa natura *commode & efficaciter* utatur; & quomodo mediantibus his, sponte prorsus, & sine aliis *correctoriis*, vel cujuscunquæ tandem generis, adminiculis, morbi ita *sponte* restituantur, ut, si etiam Medicus eandem viam in posterum insistat, omnia planissime, & imprimis tranquillissime atque constantissime, tam succedant quam exeant.

CAP. IV.

DE

REMEDIIIS AD INFANTUM AFFECTUS NECESSARIIS.

PUlchre, & sane multis nominibus atque respectibus eximie loquitur *Quintilianus*: *Nunquam hoc malis moribus eveniet regnum, ut quæ speciosa fecerunt, eadem faciant etiam bona*: Ad varia quadrat! nos hujus commeminimus præfenti loco, ubi de *medicamentis* ad infantum morbos

ne-

necessariis, dicere fert occasio. Sanè verò quam feciosis nominibus atque commentationibus, ab antiquis quidem temporibus in hodiernum diem exornetur ingens farrago rerum, quas *Medicamenta* vocare homines consueverant, antè oculos est; jacent non solum in bibliopoliis, sed jam hinc inde in propoliis, tota volumina, diffuse hoc argumentum diducunt. Interim mirari liceat, quod in familiari praxi, ab omnibus peritis, multum laudetur *paucitas* atque concinnitas medicamentorum; ita, ut aliqui etiam longè paucissimis contentos esse posse, disertè pronuncient.

Notum est, quid in immortalem sui memoriam in hoc genere præstiterit *B. Ludovici*, & quomodo ille hoc Augiæ stabulum repurgare, animo incomparabili suscepit. Interim reverà nec ipse rem hanc funditus exantlasse dici potest, neque tamen quisquam Vir æquus & cordatus vitio hoc ipsi vertet, sed profectò maximè laudè ducet, si vel nihil aliud, quam illud egisset, ut indicasset serio, & in mentem revocasset Medicis, quod hic vulgo peccetur atque erretur, & justum sit operæ pretium, offendicula hæc attendere atque evitare.

Habet profectò hæc animadversio duos eximios usus, primò ex parte Medici & Patientis simul, ut vere idoneis, & quibus fidere liceat, medicamentis, Medicus suam existimationem, Patiens conservationem atque restitutionem suæ sanitatis, assequantur: Deinde ex parte Patientis privatim, quando ille vel sumptuum penuria, vel fastidio peculiari, ad multa medicamenta assumenda impar est; quo certe casu, pauca sed efficacia medicamenta, maximum usum exhibitura esse, quilibet facile agnoscet. Habet sanè hic ipse respectus, subinde tantò majorem usum infantum ætate, dum hi utique multis, imprimis supervacuis, medicamentorum formulis, & multiplici oblatione, incommodè fatigantur: utilissime verò paucioribus, sed quantum expediat efficacioribus remediis, longe feliciter curantur. Sicut autem remedia utique directæ esse debent, sive contrà *causam materialem* morborum, si-

ve morbis ipsos; ita in infantum quoque morbis, habenda utique est ratio tam *causarum*, quam *morborum* ut effectuum, imò viarum & inclinationum naturæ; quibus illa his rebus succurrere & occurrere consuevit.

Quemadmodum autem & medicamentorum duo sunt summa genera, & causarum etiam morborum, non nisi duplex talis respectus; ut nempe vel *qualitatis alteratione*, vel potius *substantiæ evacuationis* negotium geratur: Ita dirigenda etiam est hic intentio, partim ad alterationem seu qualemcumque *correctionem* materiæ, partim ad justam ejus *evacuationem*.

Debet autem hic etiam memori menti obversari, quod non ita promiscuè qualibet *Evacuationes*, neque in adulta neque in infantili ætate utiles sint; aut sanè *aliæ præ aliis* immensum quantum prærogatiuæ hinc mereantur, & longè frequentiore usum habeant.

Infantibus quidem, plurimum convenit justus *alvinarum fecum* secessus, & incurrunt illi ab hujus vitiis & defectibus, varia incommoda non contemnenda; Interim adhuc gravioribus malis ansam præbere solent *transpirationis* suppressiones; utpote à quibus *Fibres acute*, & gravia aliquando *spasmodica & convulsiva* symptomata, ortum trahere observantur.

Remedia itaque, quæ partim talibus materiæ vitiis mitigandis conducere possunt, sunt 1) *Absorbentia*, e quibus *ostreæ codermata*, & *marinorum æmula*, ocul. *Cancr. Cortices ovorum*, merito præferuntur *Terreis*; tum aliis, tum *Corn. Cervi*, sive *rustice* sive *Philosophice* calcinato.

Insignis certe usus est talium *absorbentium*, quando *lactis acescentis* vitia subsunt. Quando vero magis effectus *acidæ corruptelæ*, *ardor* nempe, & *rodens vellicatio* in intestinis, merito in suspicionem veniunt, ibi habent usum ipsa etiam 2) *mucilaginosæ* ubi *tragacantha*, *Gummi Arabicum* &c. certè plus possunt, quam ab illis expectetur.

In *Urinæ* gravioribus ardoribus, & apparente *sabulosa* excretionem, habent usum tum hæc eadem, tum *percarum* di-
di

Et lapides. In *biliosa-acida* acrimonia vero, faude sua, & iustissima illa quidem, minime fraudari decet, illud a Cratone pridem ex merito commendatum, *Cryſtallum montanum*.

Quamlibet autem vulgo medicamenta *absorbentia*, etiam commendari soleant ad praestandum effectum *diaphoreticum*, frustra tamen erit, qui ab illis *directe* tale quiddam expectare, adeoque perpetuam hanc efficaciam ab ipsis sperare, in animum induxerit. Quicquid autem, tam *absorbendi*, quam *sudorem* pellendi scopo, etiam tribuitur *Cornu Cervi usso*, & quantus etiam tandem hominum consensus circa hoc medicamentum conspiret, negat tamen circumspecta experientia, tam promptum atque plenum assensum, utpote quæ nihil prerogativæ in hoc *Cornu* confirmet, quod non pariter, imo melius obtineatur per *Cryſtallum montanum*, *oculos cancræ*, *conchas* & *matrem perlarum* &c.

Peculiare est experimentum plebis Belgicæ maritimæ, quando infantibus *agimoto* faucium constrictione & deglutendi vitio effectis, testas certarum *cochlearum* marinarum, articulum digiti medii medium longitudine amnantes, & secundum sui longitudinem veluti ansatis striis distinctas, quas *Spoortjens* appellant, in pulverem contritas exhibent, cum indubio, si assertionibus fides constet, successu. Merentur huc referri, quæ habet *Bonetus* in Medicin. septent. collatit. de *vulnatis* quibusdam quasi conchyliis, quæ *Entali* sint, & amuletica etiam nuda de collo suspensione, anginosos affectus tollant.

Qui verò *Diapnoicum* effectum pro infantibus desiderat in *temperatissimo* aliquo remedio, nã ille longe feliciter poterit voto suo, si in usum trahat nudum *Antimonium Diaphoreticum*, modo de reliquo rectè paratum ut tenus, & sine *florum* crudiorum in reliquam massam relapsorum miscelâ, fuerit.

Sanè verò quid hoc simplex præparatum possit, in variis *reteriorum* imprimis adhuc infantum affectibus, prudenter adhi-

hibitum, vix quisquam persuaderebatur incredulis, nisi experientia. Certè, qui hoc, cum aliis commodis absorbentibus faciatur, infantibus *tempestive*, moderatis etiam dosibus, exhibere scit, poterit facile aliorum & laboriosiorum, & numerosiorum, hujus census remediorum usu se perfedere.

Maxime sanè facimus virum meritissimum de reliquo *B. Danielum Ludovici*; quid verò peculiaris prerogativæ expectari possit a pulvere pro infantibus, qualis ipsi placuit, nos non perspicimus. Quis enim peculiarem quamcunque utilitatem, nedum efficaciam, vel alias, vel in infantibus, speret, ab *unicornu fossili*? *Tophaceo* nimirum cramate ossium morticiorum, post putredinem *aphrò-nitrosa* salfugine penetratiorum. Quis, nisi vulgaribus præjudiciis cedens, expectabit aliquid singularis commodi, a *terra sigillata*? fatuo nimirum subtiliore bolo, ad nihil aliud, quam adstringentem effectum edendum, apto; cum tamen *adstrictiones*, ab infantum corpore, nisi in paucissimis forte casibus, (in quibus tamen etiam ipsis *necessariae* utique non sunt) abesse potius consultum sit. Certè vero hac formulâ potiùs, quam qualibet alia, insignis operæ pretium in infantum affectibus facere nemo in animum induxerit.

Tenerioribus infantibus, *sulphurea* medicamenta, *essentia*, *tincturas*, aut *elixiria*, nisi e *temperatissimis* simplicibus parata, & moderatissime propinanda, svadente experientia suspectum habemus. Quando vero non nihil virium cum ætate imptarunt, tunc potest paulò melius locum invenire talium formularum usus. Securius tamen abstinetur a *multiplicibus* *Myrrha*, *Crocus*, *Zedoaria*, *galanga*, & similia acriora non ingrediuntur, sed radices *pimpinella alba*, *vincetoxici*, *belenii*, *angelica*, *imperatoria*, priores largius, posteriores parcius, & bona quantitas scordii, facile hic sufficere valet. *Essentia Myrrha*, non nisi *parcissime* in *catarrhalibus* & *pectoris* vitiis, cum largiore quantitate *essentiæ succini* remixta, locum habere potest;

test; in febrilibus autem affectibus ab illa dehortamur.

Norum est quid ad morbos infantum ab aliquibus impu-
tetur *sine cura antimonii*; imo in ipsis adeo illorum *febribus*.
Nos licet remedium illud, & imprimis quidem potius *fortiter*
alcalicum, quam quocumq; modo *antimonialium* partium com-
pos, alias in *chronicis adultiorum* affectibus, non parvi faciamus,
in *infantum* tamen affectibus, nunquam operæ pretium, ali-
quando etiã in *incommodam subsecutorum* justissimam su-
spicionem, ab ipso reportatam, meminimus.

EVACVANTIA pro infantilibus morbis quod attinet,
habent pro his rarissimum usum, vix autem unquam ullam
necessitatem, Emetica; si quid etiam horum consultum videat-
ur, præstat fere nudis mechanicis irritationibus, in fauci-
bus, quam subtilibus *corrosionibus septicis* in ventriculo, ali-
quid tentare. Si quid etiam ibi *moliendum* appareat, præ-
stiterit leniora, conservam *florum perscorum*, aut *florum jaceæ*,
in usum trahere, quam *antimoniata*, aut *venerea vitriolica*:
qualia non nisi evidenti *incipiti necessitati* concedenda pu-
tamur.

Nunquam autem facile *medicamento* tentetur vomitus
in infante provocatio, quin *alvus* vel simul aperta sit, vel u-
na commode provocetur.

Evacuatio *per alvum*, in infantibus commodissime fit,
si quid *febrilis* una suspectum aut iam complicatum sit, per
rhabarbarina; si nihil tale subfit, per *mannam, sennam, Spizant*.
Ceruinam: tandem *mechoacannam*, sed tamen *circumspectius*.
Extra *febriles* suspensiones, *mercurius dulcis* omni sapore destitu-
tus, (& pro majore securitate jam in aliis robustioribus etiam
adultis, largiore dosi probatus) elegantissimum est pro infan-
tibus non planè tenerimis, catharticum: ad 3. 4. grana ex-
hibitus. Ubi obiter addimus, non magis ratione, quam lo-
cupletissima experientia nitentes, quod ita, uti dictum est,
bonus mercurius dulcis, sine omni scrupulo etiam *pulveris* for-
ma dari possit, modò rectè comminutus, faucibus & palato

E in-

infantum nulla molestia, nédum damno nociturus. A quantumcunque vero gustum tangente tali mercurio, sollicite abstinetur.

Quemadmodum *diapnoicam* evacuationem, & aliis ætatibus, & gravissimis quibuslibet affectibus, nimirum *acutis*, imprimis idoneam esse, jam supra monuimus, ita huic certe generi evacuationis plurimum invigilare convenit. *Invigilare*, inquam; non autem æque multum laboris impendere. Sicut enim alia excretiones, sæpius *opportunitates* suas planè breves, & *καρὸν ὄζον* habent; ita *sudorifera*, i. e. paulo largius *diapnoica*, non solum alias tempora potius quasi *stata*, & certas illorum periodos supponunt; sed tanto magis in periculosis *acutis* affectibus. Exemplo possunt esse *variola*, *morbilli*, febres a repentine cohibita *transpiratione*, à retro-pulsis *scabiosis* inquinamentis. In his certe quicquid quolibet *impetu*, minus *moderate*, *ordinate*, & *patienter* agitur, non solum usu caret, sed certo damno non caret.

Profecto, si usquam Naturæ motus placidè sequi, & *ordinate* prosequi convenit, in evacuationibus utilibus *sudoriferis* infantum hoc valet. Possunt profecto hic provida *moderata regimina* plus longe, quam quilibet medicamenta, aut incitamenta atque stimuli, imprimis quoque modo *præmaturi* aut *intempestivi*.

Conveniunt proinde pro hoc evacuationis genere, legitime *juvando*, non nisi *lenissima* remedia. *Antimonium diaporeticum* supra laudavimus; *Positiva*, ut vocant, *calidiora sudorifera*, *dissuasivissima*: Commendamus adhuc usum *temperatissimarum aquarum destillarum diapnoicarum*, *scabiose*, *scordii*, *cardui benedicti*, *plantaginis*, *scorzonera*, *florum tilia*, *florum sambuci*: abstinendo *in acutis*, imprimis *exanthematibus*, ab aqua *sumaria*, quam positivè improbamus.

Externo usu, egregium in hoc genere, ad promovendam placidam *diapnoen*, *resolvendas stases* circa peripheriam corporis, imo *nervinum* etiam effectum præstandum, habet
ex

externè usum *Camphora*, jam de collo suspensa, jam in spiritu vini soluta, linteis aspergenda.

Interno usu, certe non contemnenda est *Cinnabaris*; quamvis enim tantis promissis, quali ab aliquot viginti vel amplius annis ipsi attributa fuerunt, minime gentium satisfaciat: ut videlicet non solum *convulsivis* in genere, sed plane specialissime *Epilepticis* pathematibus, præsentaneam, aut saltem conspicuam aliquam opem adferat; illud tamen omnino verum est, quod utique ad *mitigandas* vehementes exacerbationes *spasticas*, & promovendam per hanc ipsam viam emissionem *transpirationis*, constipatione spastica cutis placidè relaxata, non contemnendum usum habeat & effectum præstet.

Danda tamen revera potius est *parvis*, quam *largioribus* dosibus, tam quod istis etiam sensibilibus satisfaciat, quam quod his subinde ventriculum potius quadantenus gravare appareant: sicut etiam sæpe, ita uti assumti sunt, *Cinnabarinis* tales pulveres iterum rejiciuntur: interim negandum non est, quod etiam ita velut in transitu, omnino rursus secedentes tales pulveres, nihilo secius effectum sensibilem bonum post se relinquere, sæpenumero etiam satis manifesto sentiantur.

Unum addimus de *formulis*, quod infantes non solum *diffusioribus* talibus, sed etiam *crudioribus* ingredientibus, gravare non conveniat. Valet hoc de pulveribus variarum *radicum*, *magisteriis* & aliis inutilioribus *calcibus* atque *ustis*; de *terra* etiam *scillata*, quam plus uno respectu iterum improbamus.

Licebit nobis unum verbum dicere de trivialibus *antepilepticis*. Non potest certè fieri, quin homini non penitus in diem, ut ajunt Germani, & planè stupidè credulo, suspecta tandem evadat vulgatorum elogiorum fides, quibus tantus numerus variorum remediorum adversus *convulsiva* & *epileptica* pathemata vulgo celebratur, si quotidianæ praxeos locuple-

tissimam observationem animadvertat, quam raro atque difficulter *convulsivis* motus cicerentur a *directo* usu laudatorum remedium, nisi morbus ipse, cui accidunt, ad minimum debito, *ordinatore* suo progressu impetrato, mitescat: *Epilepsia* vero magis *idiospathica*, nedum jam *habituales*, vel plene nihil solatii inde experiantur, vel non, nisi sub multiplicibus aliis tentaminibus & inventionibus, *ambigua* penitus eventus ratione, tandem aliquid remittant.

Habebit autem paulò circumspectior harum rerum contemplator, tanto justiore occasione, tam in veritatem, quam ipsam omninò rationem, sive *falsæ*, sive quadantenus *verioris* hujusmodi efficaciz inquirendi, quando partim illorum remedium, quæ *directè* & principaliter huic scopo dicantur, si ita *simpliciter*, sine aliorum concursu aut *mixtâ* exhibeantur, *conspicuos* aut *sensibiles* effectus tentat atque annotat: partim formularum aliquarum quæ in hoc casu aliquid evidentioris solaminis afferre apparent, reliqua, ut vocant, ingredièntia examinet, speciatim *absorbentia* & *diapnoica*: Equarum rerum, & simul verioris ætiologiæ ipsorum talium principalium affectuum, comparatione, non poterit fieri, quin satis lucis ipsi affulgeat, quod potius primarii affectus debita moderatione symptomata illa convulsiva conquiescant, quam ulla *directa* efficacia, manente ipso *primario* pathemate, symptoma hoc, *specifici* talis remedii interventu, seorsim atque *directè* inhibeatur: imprimis si reliquus totius hujus morbi *minus ordinatus* progressus, nihil simul mitescat aut in viam revertatur.

Abfit autem, ut hoc loco nos ipsi in illam considerationem excurramus, quibus occasionebus ejusmodi traditiones in mundum irrumperere potuerint? præcipuè, cum ridicula quædam in hoc genere vulgò allegari solita, ne quidem mente recolare digna censeamus: ut, quod *alce* epilepsiz obnoxium sit, & paroxysmos, *ungulâ* aurem scalpendo, dissolvat, adeoque propterea & *cornu* alcis & *ungula* ejus, in corpus humanum assumpta, *epilepsia* mederi debeat, & quidem *specificâ* efficacia,



cia, quoniam istud animal epilepsia laboret &c. Interim iis certe, quibus est otium, sed doctum, non indigna esset hæc occupatio, ut tandem monerentur illi, qui certe monendi sunt, quibus fundamentis innitantur, iisque & suam, & miserorum patientium spem sustentent.

Famosiora in hoc genere sunt remedia, *pulvis Marchionis, specificum cephalicum Michaelis, unicornu*, ut loquuntur formulae, *verum, & recentioris commendationis lapis Manati. Pulverem Marchionis, præsertim largius sumtum, non possumus laudare; experientia certe, non solum nullam ejus efficaciam, sed largius sumti etiam incommoda, testante, à posteriori: sicut à priori nulla profecto ratio apparet, quamobrem aliqua peculiaris spes in ullo eorum, e quibus constat, collocari possit aut debeat. De specifico cephalico durius videri possit dicere, quod tamen suadet imo exigit veritas, quod etiam in illo, tam manifestos, perpetuos, & omni jure non nisi pro directis habendos effectus, non liceat deprehendere; quin longe sapius, vel nihil juvet, nisi princeps affectus meliorem viam insistat: vel immoderatus obtrusum, potius manifesto noceat, nempe formula maxime ipsa ventriculum gravante, adeoque varia *cardialgicospastica* symptomata potius invitante, quam mitigante. Opera profecto pretium esset, resciscere, unde primo orta sit illa traditio quod *unicornu* adversus epilepsiam efficax existat? Sicut enim de *unicornu terrestri*, vero, non ita antiquissima est traditio, (si nempe historiam ejus aliquam pro veriore venditatem quaramus:) ita nescio quomodo potius a quolibet experientia invaluisse hæc commendatio videri possit, nempe *marini unicornu*, si non semper, diutissime certe pro vero venditanti, aliqua efficacia. Interim revera hodiernus ipse dies, neque de ipso, neque de lapide illo *Manati*, quicquam nobis veri, *solidi*, non evidenter *ambigui*, ante omnia vero *constantis*, nobis hæctenus exhibet quamobrem aliquam in ipso fiduciam ponere æquum censeamus. Absurdiorum illam imputationem, quod *sororum humanum*, etiam calce aliorum coriorum instar, emaceratum*

ratum hic aliquid possit, meritissimo silentio suppressimus.

Profecto vero in *convulsionibus* symptomaticis, nisi *morbus* cui accidunt mitescat, omnia hæc & similia frustraneâ esse, affatim loquitur experientia: sin morbo recte consulatur, etiam *sine horum* usu illa evanescere, eadem confirmat.

Vix autem est Medicus, imo subinde pharmacopœus, quin aliquid *specifici*, sive ut vulgo loquuntur *arcani*, hic sive speret sive promittat. Cuilibet merito relinquitur, si hæbeat, de quo suffragante veritate & agrotantium elogiis, gaudere possit. DD. Præfidis *specificum antiepilepticum*, ut in ipsa *vera* epilepsia, favente Divina gratia, recte exhibitum, effectus huc usque præstitit laudatissimos: ita ipsis etiam *convulsionibus*, sub *incremento* morborum trepide atque tumultuarie emicantibus, frequentissime certe obicem posuit exoptatissimum. Alias autem simplex ejus *pulvis pro infantibus*, supra indicatus, profecto facit, ut neque *Marchionis* pulvere, neque *specifico cephalico*, neque aliis talibus pollicitationibus usquam opus esse videatur.

C A P. V.

SPECIALIORA QUÆDAM CIR-
CA MORBOS INFANTVM COM-
PREHENDENS.

Generalem *Therapiam*, infantum morbis aptam, superius tradidimus, *specialior* revera in nulla magis re consistit, quam in *methodo* specialiore, *therapevtica* illa subsidia, pro *specialium* affectuum cura, coordinandi atque instruendi: in *infantibus*, si usquam alias, longe plurimum fiducia in ipsius *natura*, sub placido atque circumspccto *regimine* hic certe efficacissima, *autocratico* *secernendi* & *excernendi* motu & concursu collocando.

Certâ vero in infantibus ante omnia habenda est ratio *primarum viarum*, unde semper, quando illi malè habere ep-
pa-

parent. Ad has respiciendum est: tum *absorbentibus* atque *temperantibus*, inprimis in *lactentibus*, aut alias varia ingurgitationi temere permittis: tum etiam *lenibus*, (fortiora enim nunquam conveniunt tenellis) *abstergentibus* aut *laxantibus*: *Clysteribus* etiam, si magis in *infimis* intestinis, aut *torminosa-fluigentia*, compareant pathemata. Cautissime tamen discernendo *exanthematicas* malignitates *acutas*. In gravibus autem symptomatibus internis, a *scabie retropulsa*, paulo jam auctiorum, *mercurius dulcis* majorem quam credatur usum habet.

Juxta hæc maximi usus est, bonus pulvis *diapnoico-absorbens*, levissime *cinnabarinus*. Si quid spastici concurrat, quocunque modo *meliore*, *antipileptico* suffultus. Maximam efficaciam tribuit D. D. Præses *specifico antipileptico*, semel iterumque convenientibus *absorbentibus* remixto, postea vero cum solo *antimonio diaphoretico* sociato, addito si placeat, *cinnaberis* momento.

In pathematibus gravioribus *intestinarum* & *precordiorum*, cum variis tetris dejectionibus, *anxiis* & *inquietis* ejulatibus atque *phlogosis*, *pavoribus*, & si jam præsto sunt, *dentium stridoribus* sub somno, laudat & commendat, præ *absorbentibus* crassioribus, *mucilaginosâ*.

Regimen, in jam male affectis semper potius sit *diapnoicum*, quam *frigidius*. Sicubi usus *alexipharmaco-diaphoreticorum* convenire videatur, exhibenda hæc potius sunt *nutricibus*, quam *ipsis* infantibus: quibus nihil horum, nisi *minimis*, sed *repetendis* dosibus, quadrat. In *annuis* autem, & ultra hanc ætatem, paulo securius hoc tentare integrum est.

In *acutis* infantum affectibus, abstinendum est tum à *nimia* concalescentione *externa*, tum à *fervidioribus internis*. Longe plurimum hic possunt *absorbentia* & *diapnoica* jam laudata; universonum autem reliquum, absolvit *tempus*, & *justi* ejus *decursum*: quos quidem apud *infantes* magis sollicitè observare convenit, & sequi, quam usquam alias.

Ad

Ad *externos ulcerosos* infantum affectus, imprimis *crustosos*, unum commendamus *oleum ovorum*. Ad *navos*, recentium *secundinarum* affricatam, & sanguinis *lochialis* quotidianam inunctionem. Meminimus, hæc, jam *puerilem ætatem* prætergressis, adhuc auxilio fuisse.

Ad *convulsiones & epilepsiam*, absurdum fit commendare, quæ jam in omnium etiam *plebejorum ore* sunt. Commendamus ut adhibeantur, de quorum *veritate* constat.

Specialissimis aliis neque tempus amplius suppetit, neque profecto locus est, si modo *methodus* observetur, *matæ*, & *modi* *tui* infantilium morborum respondens: quam circumspectæ praxi, sub benedictionis *Divinæ* auspiciis gerendæ commendamus.

FINIS.



Ua 5316

ULB Halle 3
004 109 724



sb

1017





44
31.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE

INFANTUM AF- FECTIBUS,

QUAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
RIDERICO WILHELMO,
REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS BRAN-
DENBURGENSIS HÆREDE,
&c. &c.

CONSENSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ,
SUB PRÆSIDIO
N. GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.
h. t. FACULT. DECANI,

*Patroni, Præceptoris ac Promotoris
sui, omni observantiæ cultu prosequendi,*


PRO LICENTIA,

quos in ARTE MEDICA Honores, Insignia & Privilegia
DOCTORALIA rite & legitime capeffendi,
Ad diem Martii AN. MDCCCV. Horis ante & pomeridianis
IN AUDITORIO MAJORI,
publicæ disquisitioni exponet,

CHRISTIANUS HÖNISCH,

Vratislavia Silesius.

WASA, HALÆ MAGDEB. Typ. Chr. Henckelii, Acad. Typ. 1718.



B.I.G.

Farbkarte #13

Inches
Centimetres